

St. Joh. Plache



1. Gerhard / Joh. Ern. / Diff. de umbratione virtutis aetificimi, ex Luc. 1. vers 35. Jenae 1688.
2. Gejer / Mart. / Diff. Bigna, nempe prot. Evangelium Genes. III. v. 15. ut et Messiae mors, Sepultura ac Resurrectio. Jes. LIII. v. 3-10. Lipsiae 1645.
3. ——— / Diff. Superstitione, Lipsiae, 1660.
4. Gerhard / Joh. Ern. / Diff. de umbratione virtutis Aetificimi, Jenae 1665.

PROGRAMMA INAUGURALE,  
*Qvo vitam*  
VIRI ADMODUM REV. PRÆCLARISSIMI, Atq; AMPLISSIMI,  
DN. JOHANNIS JOACH.  
WEIDENERI,

Philosoph. Doctoris Celebratissimi, Ec-  
clesiæ Patriæ Rostoch. Primariæ, Marianæ, Ecclesiastæ Lon-  
gè Acceptissimi Optimèqve Meriti, & S. Theol. aliquamdiu  
Candidati Dignissimi,  
*consueto more delineat,*  
EJUSQUE AD DISPUTATIONEM INAUGURALEM,  
*Tit. I, §. 5.*

DIVINA SANCTI MINISTERII  
INTER CRETENSES  
CONSTITUTIONE,

Maximo in Auditorio, proximò XXIII. die Febr. Ao. c18ccvi.  
pro impetrandis

*Summis In S. Theologiâ Honoribus, Juribus, ac Privilegiis*

Bono cū DEO ritè publicèq; Academico examini submittendam,

MAGNIFICUM DOMINUM RECTOREM, ac

Triplicis Reipublicæ Dominos Præsules & Proceres, Excel-

lentissimos quosq; ac Splendidissimos, atq; O. O. O. Cives cum Acade-  
micos, tum Alios, Literatos ac Literarum Fautores, suis quosq;

Honoribus, Decoribus ac Virtutibus Refulgentes

qua par est, reverentiâ, humanitate, ac charitate invitat

JOH. PETR. BRÜNIGENBERG/

Ph. & S. Th. D. hujusq; P. P. O. Consiliar. Consist. Ducal. & per Distr.

Meclenb. Ducalem Superintendens, & in hoc Actu Inaugurali

DECANUS.

Rostochi, Typis Joh. Wepplingi, SEREN. PRING. & Acad. Typogr.



(2)

Um demum calamitosa est rerum humanarum facies, cum illi, qui eas *lacerare* omni conatu student, pro Optimis earum *Sospitatoribus* haberi volunt, eoq; nomine imperitis divini humaniqve juris cultoribus se obtrudunt potius, quam commendant. Roma & Hierosolyma numquam *pesti-*

*lentiores* vidit *machinas*, quam eò tempore, quò alius præ alio Patriæ *Reip. Salus* videri cupiit, & adoratores invenit, qui istud publicè privatimqve jactarent. Neque umquam capitalius Ecclesiæ DEI excidium minatus est diabolus, quam cum *Hosies Christi* sereret, eosqve *Christi Vicarios* salutare vellet, ratus, tali sub nominis cultu impietatem & irreligiositatem feliciter in orbem, quæqve versus ille patet, in vectum iri. Discussis illis nebulis alia *Sarana* est *solertia*, dum *Christianorum* haud rara est *foerdia*. Indubium sc. est, ex omni nomine & sectâ Christianorum nullam esse partem, quæ ad *Sacram Scripturam* ejusqve *litteram* propius accedat, quam ea DEUM in JESU CHRISTO colendi forma atqve virtus, quæ *genuinè Evangelica*, & distinctio nis causa *Lutherana* audit. Neque audent illud negitare, qui adversarii Sui Pontificis palladium idololatricè confugiunt. Idem *Calviniani* fatentur, & propterea rationis consilia sibi imperant, ac nobis svadent. Nec negant *Graci*, qui propterea ad copiosa suorum Patrum auxilia se convertunt. Cæteras haud dicam *minoræ*, vel *autoritatæ*, vel *speciei*, vel *fundamenti sectas*, quæ pleræqve vel ad naturale divinarum rerum iudicium, vel ad præceptorum suorum autoritates provocare debent, siquid suis dogmatibus circumfundere cupiunt lucis. Beati esse poteramus, qui præ omnibus *Sacra Dogmata* quam proximè ad litteram è Sanctis

Sanctis haurimus Scriptis, nisi *ē nobis ipse* suscitālet inter-  
 nus eos, qui in omnem nostrarum Ecclesiarum concursi-  
 tant ruinam. Novit Satanas, quanti apud nos vel sit vel  
 esse debeat *fides illa vera*, quæ justos, Deiq̄ve & filios &  
 amicos sola reddit, & ob frequentissimas rationes pulchras  
*veram* quoque *probitatem* omninō exigat. Horrendum est,  
 quod videmus: *Filia armatur in matrem*, & probitatis fa-  
 ma contra Fidem in arenam ducitur à Satanā, tantusque est  
*Pietatis* inter multos ē nobismetip̄s ortos abusus, ut fides  
 enerveur, quò roboretur, *non Probitas, sed Probitatiā si-*  
*mulacrum*. Vesani mores! Novit Satanas, quāto nobis  
 loco esse debeat verè Divina, unica illa, illa *solida*, *Christi*  
*religio*, à quā omnis nostra pendet gloria, & petenda venit  
 salus. Hanc ut destruat, *solidam* nobis *religionum* obrudit  
*indifferentiam*, quasi verò ex æquò placere queat DEO,  
 Veritatis inquam DEO, *mendacione an veritate*, figmen-  
 tisne an Sanctis Suis dogmatibus colatur? O stupenda  
 delirantium lensa! Novit Satanas, quantā Providentiā  
 DEUS Israël, & Redemptor ejus de *Ecclesia puritate*, &  
*heresum sibi matumque vitando impetu* nos commonuerit,  
 proptereaque generatim, ac speciatim, adhibita partim  
*dogmatum*, partim *nominum* compellatione ab *impudicis* &  
*dejav* consortio suos retrahat. At ē nobismetip̄s exo-  
 riuntur *eorum patroni*; quodque *Cainitis*, antiquissimis hæ-  
 reticis imputat historia, quod *reprobato laudant*, & *co-*  
*luerint* tamquam *præstantissima instrumenta DEI*, illud vel in  
 petulantissimis omnium temporum *heresiarchis* repetunt  
 illi, qui *omnium integerrimos se esse*, toti mundo persuadere  
 gestiunt. Heu ingenia in quamvis rerum profanarum  
 misturam nimis ingeniosa! Novit Satanas, quanta sit *Li-*  
*brorum Symbolicorum* omnem in partem utilitas, quanta ad  
 collendam *novitatu* contra Verbum DEI moliendæ luxu-  
 riam commoditas, quantaque ad distingvendos *veraces* &  
*veros* facilitas. Hoc quia fastidit, odit, averfatur, ē  
 remio nostrò allicit, qui contra luctentur, qui advertariis  
 colludant, qui verum charitatis vinculum in iis repositum  
 pererrum.

pertumpere, & Alexandreo ente dissecare, solvi si nequeat,  
 commachinentur. Heu *peccator a Sibirica* suam in perni-  
 ciam male conjurata! Novit Satanas, quanta sit *schola-*  
*rum* necessitas ad frenandam pueritiæ stultitiam, adolescen-  
 tiæ ferociam, totius vitæ malitiam, conservandamque reli-  
 gionis Christianæ, & omnium disciplinarum bonarum reli-  
 gioni inservientium peritiam. Fuit ergo ac sævit, & pro-  
 trudit è nobismet ipsis *peculanter docta* ingenia, quæ misce-  
 ant omnia, contra Scholas disputent, omnemque eruditio-  
 nem relegari, quoad rem ipsam cupiant, cum nõrint *fu-*  
*tanisti*, numquam lapsurum esse veræ religionis adeo re-  
 pente corpus, nisi subrutâ scholarum, pluribus præter lau-  
 diores egenis simul opitulantium, basi. O horrida *novæ*  
*barbariæ* semina! Novit præterea Satanas, quantâ DEUS  
 curâ de *Ecclesiastico* nobis *ministerio* prospexerit, ut homines  
 per homines tanto promptius & confidentius doceremur.  
 Hoc præsentissimum ut nobis eripiat solatium, è nobis  
 ille viros extruxit pestilentissimorum dogmatum, qui, heu  
 perfidiam! docerent, non opus esse *ordinario Ecclesiæ mini-*  
*sterio*; sibi *quemque* *sufficientem salutis ministrum* esse; plus  
*pestis ex Ministris Ecclesiæ oriri atque orium* esse, quam ex  
*omni alio statu*; nec posse ministrorum *peculiarem quemdam*  
*statum cum veritate dici*; eosdemq; nisi sancti sint, nihil prodes-  
 se *eo, qui eorum ministerio utantur, cum à sanctitate quos, illo-*  
*rum sanctitas salubritasq; effectus pendeat*; cujus conlectarium  
 proximum est, optime nos carituros esse *ministerio Sacro, cum*  
 nulla sanctitatis ejus esse possit certitudo; neque etiam Chri-  
 stum in N.T. tale *Ministerium* constituisse: *baptizantis super-*  
*bia esse*, & *superstitionis ministerialis*, quod fides non sit libe-  
 ra, proptereaq; parum plerumq; ingenua. Ecquid periculosius  
 dici poterat? Taceo *scommata*, & *convicia*, & *disteria*  
 ignominiosa in *Ministros Ecclesiæ* quotidie ex omnibus fer-  
 mæ mundi velut angulis ingesta. Nullus est *qui* *bar-*  
*puder*; nulla, quæ obstat, religio; nullum *peccatum*.  
 ex quò in seipsum conviciator descendat, & ajat: *Quis est*  
*quis facio*? Itane verò Sacris literis decebat contradici?

Opus

Opus esse Ministerio Sacro vidit DEUS & Dominus noster JESUS CHRISTUS, proptereaque ab initio mundi, cum vix Adamo nepos proneposve in aula luderet, serium publicumque Verbi ministerium esse voluit, ante structuram fatalis arce publicum Justitiae Praeconem populis securis dedit, & Melchisedecum Sacerdotem suum gentibus postea proposuit, ac praeter Prophetas innumerabiles integram Levitarum tribum suo servitio addixit, qui jura DEI ad populum, & testimonium exspectandi Messiae urgerent sacrificiis, monerent praecipis, munirent exemplis. Repetamus quae Duodecim Apostolos, & Septuaginta ceteros discipulos in testimonium doctrinae de JESU CHRISTO postea suscitatos. Dixeris facillime, nullam fuisse Israelis tribum, nullam inter omnes gentes linguam, cui non sit datus doctor, atque praeco destinatus. Adeone verò nos esse stupidos, ut, quod tunc temporis inter dona sua numeravit DEUS, dans primum Apostolos, tum Prophetas, tum Evangelistas, tum praeter 1. Pastores ac Doctores (Eph. 4. 11, sqq.) id hodie ita sublatum iudicemus, ut ne superesse quidem debeat Doctor, Pastor, ordinarius, cum extraordinaria DEI dona in Apostolis, Prophetis, & Evangelistis immediate tunc illuminatis suscitatisque cessarint? Longè aliter in primis Christianis, Bibliis, aequè atque Ecclesiasticis, hoc gestum est aestimatumque negotium. Enimverò annon Antiochia in Ecclesiâ sacrum viget Ministerium Prophetarum ac Doctorum, in quò sunt Barnabas, & Simon cognomine Niger, & Lucius Cyrenaeus, & Manabemus, & Saulus? Act. 11, 26, c. 13, 1. Annon Presbyteria in Ecclesiis fuisse per sanctos Dei Viros suscitata? Act. 14, 23. Annon Hierosolyma adeo illustri floruit Ministerio, ad quòd aliae confugerent etiam Ecclesiae ob praesentiam Apostolorum Domini? Act. 15, 2. c. 21, 18. Gal. 2, 1-9. Annon Corinthi Paulus, Silas & Timotheus Ministerium repraesentarunt Act. 8, 5, 14, 19. idemque abeuntes aliis commendarunt, de quibus copiosè agitur 1. Cor. 14. toto? Annon Ephesè à Paulo suscitatum est Presbyterium sacrum? Act. 19. coll. cum Act. 20, 17, 28. 1. Tim. 5, 17. Annon Caesarea Philip-

pus Evangelista Ecclesie inservit Act. 8; 20. c. 21. 8. ubi  
 Petrus, non Angelus Verbi Minister esse debuerat Act. 10. toto?  
 Annon Colossensibus Verbi Ministerium præstitit Epaphras,  
 & Archippus? Col. 1, 7. c. 4, 12. & 17. Annon Thessalonicensibus  
 complures præfuere Ministri laborantes in ipsis, & ipsi  
 præstituti in Domino, ipsosque cohortantes, tanti operis causa  
 deamandi? 1. Thesl. 5, 12, 13. Annon Ebraei doctores suos ha-  
 buere, qui ipsis verbum ad mortem usque prædicarunt, & vi-  
 gilarunt velut rationem reddituri pro eorum animabus  
 Ebr. 23, 7. & 17. Annon continuandum & propagandum in  
 Asia (Angelis Ecclesiarum Apoc. 1. 2. 3. probe instructa)  
 1. Tim. 3. toto & 2. Tim. 2, 2; annon in Grecia Tit 1, 5. sqq. ex  
 præscripto Paulino, ad Timotheum æquè ac Titum trans-  
 misso, fuit sacrum Verbi Ministerium? An non omnia om-  
 nium primavorum Patrum scripta ordinaria loquuntur  
 presbyteria? Quæso vos, ô homines, quid vultis? quid  
 convicianini? quid accusatis? Si tota sibi Ecclesia sine Do-  
 ctore sufficit, quid clamat Paulus, quid erigit Presbyteria?  
 Si quisque pro se audire potest Verbum Domini, quid scri-  
 bit Apostolus ad Romanos, quid ostendit necessitatem præ-  
 dicantium, quid laudat pedes evangelizantium? Rom. 10, 14. 15.  
 Si incusatis pestem ex multis pravis atque heterodoxis Mi-  
 nistris ortam, propterea rejicietis ipsam Ministerium?  
 Itane vos DEUS docuit & Scriptura sacra Act. 20, 28. sqq.  
 Multa pestis oritur è multis principibus, ideone etiam Ma-  
 gistrarum evellatis? Tanto majori opus est providentiâ, quan-  
 to major utrobique est peccandi facultas? Si autem id rejici-  
 endum putatis, ex quo magna rerum venit labe, totum  
 rejiciatis oportet humanum genus, postquam homo homi-  
 ni non tantum lupus, sed & diabolus esse non desinit. Si  
 incusatis statum, rogo vos, quid incusatis? Nonne statum illi  
 formant aliquem, quibus velut reges & principes alii reges  
 sunt oppositi? qui præpositi sunt ecclesiis? qui vigilant pro re-  
 liquis? qui dirigunt cæterorum fidem atque sanctitatem? Quid  
 quæto jactantia est in voce statum? aut quid periculi in voce re-  
 giminis? cum aliud sit ecclesie, aliud politie quæ talis regimè



seu gubernatio? Imò *ne nomen quidem scimus* involvit gubernatione! Si inculatis *viduum & salarium*, nescitisne Scripturas, in quibus ipse Christus ea ordinavit, ipse Paulus ea sumfit? Si *corda* inculatis, quis vos *καρποφύτας* esse dedit? si *mores*, denunciate, probate, emendate, aut, si horum non vultis ullum, tolerate, donec DEUS veniat ac dies. Si *obsequium*, quod ipsis postulatur, inculatis, accusate Paulum, qui illud præscripsit Hebræis, & Cretensibus, aliisque; si *autoritatem Verbi* in ore ipsorum, accusate DEUM, cujus illud Verbum est, Verbum, dum maneat sincerum, vivens & vivificans, secans & necans, prout res exigit. Define. *DEI pupillam* tangere conviciatores & convertimini accusatores ejus iniqui, ne nomen Vestrum famosum fiat coram omnibus DEI Ministris in Judicio Extremo! Videre, ne in vos quadret illud Oweni in Anabaptistas, & similis farinae fratres dictum:

*Omnia diruitis, nihil edificatis in orbe:*

*Zelus hic, an scelus est? fervor hic, an furor est?*

*Spiritus at vestris etiam prætenditur ausis:*

*Qualis at hic vester spiritus est? Abadon. Ap. c. 9, 11.*

Revereamur autem cum vera pietate nos omnes DEUM Ministerii Sacri *autorem*: revereamur JESUM nostrum Ministerii ejusdem sacri *suscitorem*: revereamur etiam *Scripturam* S. Ministerii illius *propagatricem & conservatricem*. In quâ præcipue S. Paulus pro ipso inter posteros semper, utinam & semper in pietate! continuando copiose verba fecit, in quibus variâ de causâ eminent Loca duo illustra, juribus atque officiis, virtutibusque Pastorum præ aliis præpollentia 1. Tim. 3. & Tit. 1. Atque ex ultimo quidem hoc loco ansam sumit dislerendi *De Constitutione Sacri inter Cretenses Ministerii Vir Admodum Reverendus, Amplissimus, atque Præcellentissimus, DN. JOHANNES JOACHIMUS WEIDENERUS, Pbil. Magister jam diu florentissimus, & S. Theologiae Dignissimus Candidatus, Ecclesiastes ad cognominatum à B. Maria Templum Palmarium Rosstochiensis, Fautor atque Amicus Affinitatis & Compaterni affectus vinculo uniti*

Gom.

*Coniunctissimus.* Cujus de *Viri* medicamine ut ipsa testis erit Dis-  
sertatio, ita de *Vita, Eruditione, Donis Spiritus* planè illustri-  
bus, *rebusq; gestis* non minus eximiis in hoc Disputationis  
quali Atrio aliqua delineanda sunt, & rudi velut penicillo de-  
scribenda, sicut & mores scholarum, & utilitas politiz, to-  
tiusque Ecclesiz sanctitas postulat, quò testimonium adfit  
publicum, qualis ille sit, quem proxima quavis occasione,  
si DEUS voluerit, *Supremo Doctoris Theologia in Gradu* sus-  
ceptura est totius Orthodoxæ ac Lutherano-Evangelicæ Ec-  
clesiz pro jure ac fide. *Academia ad Varnum nostra.* Legimus  
autem de illo per *S. R. ac B. Dn. D. Habichborstium*, hujus quondam  
Academiz meæq; *FCtis Seniore* Venerabilem, ea relata,  
quæ ad vitam ejus inde à primò ortu usq; ad Publicum in hac  
Urbe Patriâ Ministerium spectare possunt: unde bonâ fide,  
quæcunq; hic memoranda sunt, à nobis haurientur, in tes-  
timonium tum Viri ad Divina vel à teneris jam adspirantis,  
tum Academiz in immerentem sua præmia non conferen-  
tis: ad quæ plura quoq; alia addituri sumus memorati non  
minus digna, ejusque vitam copiosius exornatura.

*Ordinur à clarâ ipsius origine, quam Claræ nomen,*  
*vulgaribus in fastis diei Sextilis undecimo præscriptum,*  
*commendasse in generato videtur, præ ludens quasi fu-*  
*tura ejus claritati ex eruditione & meritis ipsum prose-*  
*cutura.* *Annus fluebat à Christo nobis Natò Millesimus*  
*sexcentessimus septuagesimus & secundus, cum primum*  
*hâc aurâ frui occiperet WEIDENERUS noster, quem*  
*Parentes Optimi maturato Christianismi officio per Ja-*  
*nuam Regni Cælorum, Baptismum Verbo DEI inheren-*  
*tem, in Domum Domini Ecclesiam proximè deduxere,*  
*filium non huic soli mundo datum, sed & alteri, quod*  
*piè nôrant, restituendum. Imponi curaverunt ipsi pro*  
*consuetis Christianorum moribus prope baptisterium no-*  
*men quidè sub elocutione Germanicâ HANS JOCHIM,*  
*quod in ipsius profapia frequens ante ipsum fuerat, & in*  
*Lati-*

Latinitate exprimi solet per JOHANNEM JOACHIMUM, quâ quidem appellatione cognitus inter eruditos jam diu noster est Candidatus, sicut eadem à puero quoque uti consuevit. Credas, hunc virum divino quodam ordine non tantum WEIDENERI cognomen esse nactum, quippe qui pascendis DEI gregibus è regeneratione sua aptus natus esse videtur, sed & dulcia sua cepisse prænomena, quippe quorum prius à Gratiâ divinitus ipsi large tributâ, posterius à suscitatione per Jehovam futurâ ex Hebraicâ accersi lingvâ debet. Adeo in hoc Viro Gratiolo, divinitus ad sacra suscitato, pascendoque DEI populo sanctè prefecto, quàm felicissimè omnia conspiciant, ut eò, si cum consiliis eventa conferantur, respexisse potius parentes credas, quàm ad majores. Erat autem Pater eius B. jamdiu, & quondam Nobilissimus Prudentissimusq. Vir, DN. HANS JOACHIM WEIDENER, Senator antea de opido Demminensi in Pomeraniâ, postea Præpositus Redituum, de Rostochiens. Hospitali ad adem Spir. S. itemque de Cœnobio Piarum Montialium ad S. Crucis templum Meritissimus, qui tamen nimis immature ut aliis suis liberis, ita & Candidato Nostro fuisset ereptus, nisi de Parente novô, Nobilissimo ac Spectatissimo Viro, Domino NICOLAO OKELIO, sis omnibus prospexisset Divina Bonitas, quæ Vidua tunc Mæstissima lacrymas per eum absterfit. Vivit autem illa hodiernum Laudatissimi Nostri WEIDENERI Mater, ex variâ jamjam prole non parum beata, atq. à DEO in suâ pietate plura quoque è liberis suis egregia sperans, Matrôna Omni Virtute vera planè conspicua, DN. CLARA MARIA NEUCRANZIA, Filia Viri quondam Plurimum Reverendi ac Doctissimi, M. JOH. NEUCRANZII, Pastoris Kirchwerde-

rani in Agrò Hamburgensi longè meritissimi, & DN.  
 AGNESE WUDRIANÆ, omni decore tum pro-  
 prio decorata, tum paterno celebrata, quippe quæ  
 Patrem habuit Virum Maximè quondam Reveren-  
 dum, Amplissimum ac Pientissimum, Candidati nostri Proa-  
 vum B. M. VALENTINUM WUDRIANUM, apud  
 Gryphiswaldenses olim Hebr. Lingvæ Professore[m] Pu-  
 blicum, deinde Viduæ Ducis Pomeraniæ Concionatore[m]  
 Aulicum, ac postea Præpositum Demminensis Dioeceseos,  
 tandemq[ue] apud Hamburgenses Pastorem Ecclesiæ Petri-  
 næ, WUDRIANUM dico illum, ex insigni fructuo-  
 soq[ue] illo Tractatu, quem Germanica appellatione  
**Creutz-Schule** | id est Scholam Crucis inscripsit, aliis-  
 què laboribus piis Celebratissimum. Neque verò Ma-  
 ter Candidati nostri solâ hâc splendescit origine, sed ex  
 Patre quoq[ue] suò Avum habuit, qui nostri Proavus fuit,  
 Virum admodum inter nos celebrem, M. JOHANNEM  
 NEUCRANZIUM, NEUCRANZIORUM Me-  
 dicinæ Doctorem, inter Rostochienses, Lubecenses, ac  
 Sandenses Celeberrimorum, fratrem non minus E-  
 ruditum, indeq[ue] Scholæ Opidani Varniacæ Collegam  
 primum, deinceps etiam Rectorem Optimè meritum, quod  
 vitæ genus sicut olim bis colui, ita in hunc usq[ue]  
 diem vehementer amo, ac singularem suum propter fru-  
 ctum multis illustrioribus in humana vitæ generibus  
 non tam equiparandum, quam præferendum existimo.  
 Tantum à Matre decus ex Avis atq[ue] Proavis, ut de  
 Proaviabus nunc sileamus, consecutus est Noster. Ve-  
 rum insignia quoq[ue] ejus sunt decora è Patre, ut ad  
 WEIDNEROS redeamus. Colit enim memoriam B. sui  
 AVI Viri quondam Generosi, Manuq[ue] & Armis Stre-  
 xui, Domini HANS SEBASTIANI WEIDNERI, An-  
 sbeca-

theocatontarche in Bellis Germaniæ, Avorum nostrorum in  
tempora illapsis, quamdiu viveret, fulgentissimi; Proa-  
vum autem Generosissimum quondam Virum **HANS**  
**JACOBUM WEIDNERUM**, quem fata religionis  
tum temporis frequentia cum aliis exercuere: quippe  
per quæ hereditariâ sede suâ exutus ac Palatinatu ex-  
pulsus, Oriundam autem è Domo Saxonica Principem  
Palatino-Neuburgensem Viduam, errores Pontificios  
constanter detestantem, persecutus fuit in Saxoniam, ubi  
Præfecturâ Burgensi recreatus est. Numerat quoque  
in ordine Majorum ascendente Abavum, **HANS**  
**WEIDNERUM**, Arcis & Prætorii Palatino-Neu-  
burgensis Præfectum, & Atavum, **SEBASTIANUM**  
**WEIDNERUM**, Chiliancham quondam Cesareum è  
domo Palatinatus Neuburgensis Hochheim, itaq; pla-  
nè generosâ è prosapiâ oriundos. Non igitur mirum  
est, postquam descendens ex paterna familiâ gloria civili-  
lis, ex maternâ autem deveniens decus Ecclesiasticum,  
in Hunc Virum confluit, utroque illum incitamento ad  
Verâ laudē duci, conveniente imprimis proprio DEI amore.

Hunc enim illi puero instillaverunt pii utriusq;  
sexus parentes, & nihil ut deesset educando, privatos  
in auxilium informationis adsciverunt præceptores,  
tantog; id magis, quanto excelsior profulgebat in doles in  
literarū studia magno continuoq; impetu ruens. Quam-  
obrem & publicæ eum scholæ patriæ dederunt po-  
liendum, & in eâ quidem Viris de illâ Optimè Commeri-  
tis, admodum Reverendo & Amplissimo DN. M. GEOR-  
GIO NIEHENGCO, tum temporis scholæ Rectori,  
nunc Ecclesiæ Mariana Pastori, & Collegæ ipsius, Fau-  
tori & in Christo Fratri meo Honoratissimo; itemque  
Adm. Reverendo, & Excellentissimo DN. M. JACO-

BO. BURGMANNO, tunc temporis Con-Recto-  
 ri, at postea Ecclesiastæ ad S. Nicolai eodem Rosto-  
 chensem, atq; in Academia primum Ducali Hebraicæ;  
 deinceps Senatoria Græca Lingua Professori Publico, &  
 hodie, cum hæc scribo, Magnifico Universitatis Varoviæ  
 Rectori, ab utroque nostrum obsequentissime venerando.  
 Illo circiter tempore demortuus est Pater ipseus, & post re-  
 petitas maternas nuptias Parchimam ille missus est ad Cla-  
 rissimum WASMUTIUM, tunc Parchimensis, postea  
 Anclamensis, tandem Gustroviensis Lycei Rectorem, cu-  
 jus quidem, & SOMMERFELDIJ successoris, & M.  
 JOHANNIS MOHNIJ, Con-Rectoris insigni in infor-  
 mando assiduitate eximios studiorum successus habuit.  
 Quos auxit Gymnasium Magdeburgicum, in quo Cunovii  
 Rectoris, & Patti Con-Rectoris celebratissima ex infor-  
 matione multum profecit, præsertim cum studiorum  
 illic observatores haberet, Præ-Nobilissimos Viros, B.  
 DN. WUSCHENIUM, ex consobrinâ ipsius affinem, & B.  
 DN. PETR. NEUGRANZIUM, Avunculum, t. t. Ju-  
 dicem, & fori Præsidem, utramq; autem, & priorem qui-  
 dem t. t.; posteriorem autem deinceps, Consulem Urbis  
 Gravissimum. Inter hæc diversa Juventus ejus fata  
 vidit, quæ animum ad egregia studiorum incrementa  
 grassantem non fregere, sed magis magisq; incitaverunt.  
 Meditans autem suum ad penates reditum, tractum  
 terrarum Germanicarum Academiis Lipsiensi, Jenensi,  
 Erfurtanæ, Wittenbergensi & Francofurtensi circum circa  
 insigne munus cum dictis Academiis, aliisq; ad jacen-  
 tibus Opidis Urbibusq; Insignioribus perlustravit, ac de-  
 inde Lubecensis Scholæ Rectorem, Virum Excellen-  
 tem M. ENOCHUM SVANTENIUM, Poës. quondam  
 hic Prof. cum Ejus Collegis porro audire constituit, nec  
 sine fructu audivit.

Ita demum varie exercitus, corrasis multiplici è Præceptorum gazâ suis sibiq; congruis studiorum thesauris Patriam ingressus est Academiam, Ao. M.D.LXXXIX. nomenq; suum professus est Mense Augusto matricule Civium hujus Universitatis nomina servanti, ac per triennium in Philosophicis ac Theologicis B. DN. SIMONEM HENNINGIUM, tunc Archi-Diaconum, ac postea Pastorem Jacobæam, Sacræq; Theologia Doctorè assidue audivit, Beatog; præterea Collegæ meo, Max. Rev. atq; Excellentiss. DN. D. ANDRÆ DANIELI HABICHHÖRSTIO, Secundo, itemq; B. Dn. Decessori meo, Summè Rev. atq; Excell. DN. D. CHR. STOPHORO SCHOMERO, Primo, S. Th. Professoribus, & Consiliariis Consistorialibus, huic etiam Superintendenti Distr. Ducalis Meclenb., Optimè utriq; de sua sparrâ promeritis, diligenter frequenterq; adhaesit, audiens, quaerens, opponens, respondens, eorumq; nihil intermittens, quæ ingenium excolere, & judicium experire queunt. Quin etiam cum postea Ao. 1692. Ephoriam filiorum apud Nobil. & Florentissimum Virum, Dn. CHRISTIANUM PETRUM ENGELKEN, Pensionarium Prædii Jennevicensis Administratorem Ducalem, suscepisset, (cujus quidem informationis fructus in Affinibus ejus, Præcellentissimis duobus Magistris, S. Th. & Politicis Cultoribus Indefessis hodiernum elucet) post insuntum ibi integrum quadriennium Ao. 1696. ad Rostochienfes suos est reversus, & quæ verba sunt B. Historici, ita se gessit, ut Ctas Philosophica non dubitaret, eidem Decano JOH. GOTTLIEB MOLLERO, Græcæ tunc Lingv. Prof. (postea S. Th. D. & in Dantiscano quoq; Gymnasio Philosoph. Prima Prof.) sedulitatis hæcenus erispectæ præmium, Magisterii gradum d. 25. Maji A. 1696. hono-

rifico inter 27. Candidatos loco, solenniter conferre.

Neg. verò frustra in se collocari hoc Amplissime FCris meri-  
 tum voluit, sed aperuit quamproximè Studiofis varias scholas  
 Logicas, Ethicas, Politicas, Geographicas, & Metaphysicas,  
 illoque ipso, quo ornamenta Philosophica sumserat, anno  
 Disputationem de Fato non fatuo publicavit, & Respondente  
 utens Johann: Corbenio Wismaro, amplò cum auditorum ap-  
 plausu, nec minore cum promittudinis & facundie documento  
 Cathedram Præsidis ornavit. Præterea mentem propius ad  
 Theologica applicuit, acceptaq; per Rever. Meam Facultatem  
 licentiã, cum sub Præsidio aliquoties laudati Max. Reverendè  
 Domini D Habichhorstii Disputationem Exegeticam de Domi-  
 no super nube levi equitante, & Ægyptum intrante ex  
 Es. XIX, 1. sq. ( cui tum temporis ego in hanc Academiam miro  
 DE lausicio allatus plausus meos adjei) in primordio Anni 1698,  
 summã mentis ac laborum alacritate defendisset, Historiam  
 Ecclesiasticam, & Homileticam Sacram Præcticam Auditoribus  
 non infrequentibus exposuit. Quin &, sicut honestos ejus  
 mores singularis exornat vis eloquii, ita Sacris eam consecrare  
 rebus in præcipua semper duxit gloriã, quamobrem non can-  
 tum ferente sic occasione Sermoni Ecclesiastico se dare solebat,  
 sed & cum in Civitate sibi amorem peperit, ut, qui ante aliquot  
 annos Ecclesiam Bokholensem, vel etiam Rüssorianam in Agro  
 circumfesto non fugisset, is uno eodemq; anno 1699. bis audien-  
 dus accidendus Ecclesie primum Jacobææ ad Archi-Diaconi,  
 ac deinde Mariææ ad Diaconi murus representaretur, idque  
 eventu adeò felici, ut mense ejusdem anni Julio in ordinem  
 Sacrum reapse cooparetur, suamq; in Ecclesiam introducere-  
 tur. Quo quidem ex tempore in matrimonium quoque ad-  
 scivit Nobilissimam, Laudatissimamq; tunc Virginem, nunc Con-  
 jugem suam Angelica virtute Svapissimam, Dn. Sophiam Eli-  
 sabetam, supra memorati Administratoris Jennevicensis, Do-  
 mini Christiani Petri Engelkenii, & Primariæ inter suos Ma-  
 trone, Dnæ Elisabethæ, & B. Ascanio von der Harst, Domino in  
 Detersbageni & Hansbageni Prædiis Hereditario progenite  
 filiam, & Viri Max. Rev. Ampliss. arg. Excellentiss. Dni Henrici  
 Ascanii



Alcanj Engelkenj, S. Tb. D. & apud nos Prof. P. Collega Meæ  
 Coniunctissimi, aliorumq; egregiorum Fratrum Sororem. Quo  
 quidem è matrimonio mactatus quàm beatissimè est dulcissimis  
 quatuor liberis, quorum binos, filium pulcherrimum Johannem  
 Nicolai, Dulcissimamq; Filiam Annam Mariam, cuius Commater  
 mea Coniux illi cognominis fuit, jam tenet cælum; binos alios,  
 filiam leuissimam serè quoadriennem **MARIAM ELISABETAM**  
 filiolum infantem nitidissimum **HENRICUM JOHANNEM**  
**PETRUM**, ex amore compaserno singulari, quem meo absentis  
 nomine Max. Rever. Ampliss. & Excell. Vir, Dn. David Henri-  
 cus **KOEPKENIUS**, Prof. Phil. Publ. Collegæ, & Proximus  
 Affinis meus Longe Dilectissimus recepit ac promissit, mihi  
 commendatissimum, terra alit. Sicut verò suis ex edibus mor-  
 talium pariter ac caelestium habitacula complantavit; ita do-  
 mum quoque **DEI** sua vigilantia commissam non reliquit  
 incultam, Ipsius enim Mariana conciones & catecheses, humani-  
 tate & caritate, alacritate item & facundia plena innumerabile  
 auditorum copia sic frequentata semper apud nos sunt, ut spa-  
 sium sedentibus deesse videatur, ususque Bibliorum, quem absq;  
 novitatis opinione vel odore pedetentim commendavit, sensim  
 sine sensu in manibus presentium ad communioem nunc con-  
 suetudinem invaluerit. Neq; verò Academiam ornare nostram  
 destitit. Quamvis enim primanovi muneris tempora pu-  
 blicè aut scribendo, aut disputando terere ipsi minus fuerit vi-  
 sum, quippe quæ propius in commodum Ecclesia sua videbantur  
 impendenda, privatioribus tamen Collegijs ex utriusq; Theolo-  
 gicæ ac Philosophicæ **FC**ris consensu invigilavit quam avidissi-  
 mè, ac specialim in Theologicis ad Celeb. Dn. D. Breitbauprii,  
 Hallensis Theologi, Affinis Mei in Christo Desideratissimi, Theses  
 Credendorum atq; Agendorum fundamentales manum pro au-  
 ditorij sui emolumento applicuit, Bibliorumq; Collegium, in quò  
 ex **V. I.** feliciter absolutò in Novum nuperrimè transit, assi-  
 due urgendum sibi præfixit. Quandoquidem verò specialia  
 Patronorum non deerant consilia, quæ publica quoque exercitia  
 commendarent, laborem sibi prius præstituit, contra factum  
 Arnoldinum quem exsequeretur in Constantino Magno, Julia-

no Apostata, ac B. nostro Luthero. Illo è consilio publicatæ sunt  
 variae Disputationes. E Constantineis representarunt I. Constanti-  
 num honeste & ex legitimo matrimonio natum Anno  
 1702. 28. Oct. Respond. Dn. Johanne Gäteken Curono, J. U. Stud.;  
 II. Constantinum superatis juventæ discriminibus legitimi-  
 mum tandem Constantii Patris Successorem, A. eod. 20. Dec.  
 Resp. Dn. Burchardo Camphövenero Apenrodâ-Holsato, nunc  
 J. U. Ddo, III. Constantinum interitu utriusque Maximiani  
 & Herculii & Galerii in Regimine confirmatum, Resp. Dn.  
 Henrico Lingen Rosiochiensi S. Th. Stud. A. 1703. d. 8. Sept.; IV.  
 Constantinum M. Signo Crucis Christi in nubibus viso ad  
 Christianismum Inauguratum, Resp. Dn. Balcb. Joach. Surio,  
 Renâ Meclenburgensi, S. Th. Stud. A. 1703. d. 9. Dec. ac V.  
 Constantinum superato Maxentio Romæ triumphali pom-  
 pâ acceptatum, Resp. binis vicibus Dn. Georgio Tischero Ham-  
 burg. J. U. Stud. A. 1705. 7. Febr. & 20. Martii. Ita & de Julianæ  
 expositus est ad lucem publicam I. Julianus per nullam Ortho-  
 doxorum culpam Apostata duabus partibus, quas defenderunt  
 Dn. Frid. Joach. Harwig Lubizâ-Meclenburg. S. Th. Stud. A.  
 1702. 6. Dec. & Uterinus Ipsi frater Dn. Georg. Nicol. Okel,  
 nunc Pbil. Mag. Præclarissimus A. Eiusdem. d. 13. Dec. ac II. Ju-  
 lianus ex Historicis Genuinis verè Apostata, quam disser-  
 tationem Arnoldo æquè ac Obs. Halensium Tom. III. ejusdemq;  
 O. Nonne opponere voluit, defensoribus ex dimidio Dn. Isaaco  
 Hoeman Colbergensi S. Th. St. A. 1703. d. 24. Mart. & Dn. Ottone  
 Davide Dambek, Meclenb. d. 30. ejusd. mensis publicè ventila-  
 tam. In Apologeticis pro B. Luthero Unam hucusq; publicavit,  
 quæ ficit Lutherum in Solenniori ac planè memorabili  
 Sec. XVI. Reformatione Primum Præcipuumque DEI Mini-  
 strum, Resp. Dn. Henrico Cbrist. Bœclero, Saniza Meclenb. S.  
 Th. Stud. 3. Maj. A. 1704. Quarum quidem dissertationum con-  
 tinuationi, si DEUS vitam facultatemq; suppeditaverit, ulterio-  
 rem operam se non esse denegaturum pollicetur. Præter illas  
 meditationes alia quor. publici juris fecit scripta, Animirum  
 1704. d. 27. Jun. Resp. fratre supra jam laudato M. Okelio, Dispu-  
 tationem, quæ monstrat Atheismi justam denominationem ac  
 Impu-

Imputationem contra Obs. Hal. Tom. VIII. O. X. quoad anteriores  
 S. Secemq; duo specim. Philologicorū Observatorum contra  
 Job. Clericum, ejusq; Rapap. in Perpetuam in Pentateuchum,  
 alterum ad vocem מַלְכִּינַח Resp. Dn. Christiano Tanken Mal-  
 schinensi, S. Th. Stud. A. 1705. d. 18. Apr. alterum ad vocem  
 מַלְכִּינַח Resp. Dn. Jo. Wolfo Rosf. A. 1705. 16. Dec. venientum cecidit,  
 eoz; in genere plura molitur. Neg; minori studio in alia fer-  
 tur, siquidem, postquam fama de Lupis diabolicis, seu de Ly-  
 canthropia percrebuit, proximè expediendum censura submissu-  
 rus est thema de Transmutatione formarum impossibili.  
 Pauculi nunc excurrere dies, quod nostræ F. C. iis Censuræ etiam  
 exhibuit Tractatum Lingvâ vernaculâ scriptum, atq; in-  
 scriptum, P. Bernhadi Freytagis Soc. Jes. Formula Veræ in Re-  
 ligione Concordiæ, oder Form und Weise die wahre Einigkeit  
 in der Religion zu treffen/ durch die Jeder reiner Lehrer gemüßi-  
 get und erläutert/ approbatum à Nobis, & proxima temporum  
 facultate ab ipso publicandum. Taceo consilia ejus, quæ medicantur  
Emendationem Arnoldine Historie Ecclesiastico. Hæreticæ  
Veritate stipatam; taceo alia meletemata è spiritualibus  
 quibusdam meditationibus otio sabbatico acceptis ferendis,  
 utiq; aliis Utilibus Meditatis in omnes Evangelicos, atq; Episto-  
 licos, Passionales ac Pœnitentiales Textus exorta: quæ omnia  
 Vernacule commissarusest literaturæ, si cætera sint paria futu-  
 ra. Atq; ex his omnibus nimio pere profulget, quali, quamq;  
 strenuus sit Candidatus noster, quidque ex ipso ulterius sibi  
 promittere possint tempora secutura. De quò quidem id nobis  
 promittimus, unumquemque hæc legentem sine ullo negotio  
 judicaturum esse, non indignum hunc censeri posse Candida-  
 tum, quem F. C. iis Theologicæ maneat præmia. Quid vicina no-  
 bis Wismaria de ipso censuerit, inde patet, quod per Depuratos  
 Viros quosdam Amplissimos suâ in Ecclesia sit auditus, & non  
 sine testimonio benevolentia allestus fuerit ad Exploratoriam  
 Concionem, quam ipse modestius cum vacante Pastoratu decli-  
 navit. Quid Urbs Patria de ipso sentiat, inde cognoscitur.

quod ad Civitatis Honestissimum desiderium Senatus Urbis  
 Prænob. atq; Amplissimus ei nec parvi promissum fecerit  
 Professionis Philosophicæ proximè sub mutatione conferendam  
 Protocolloq; suo illud inseruaverit, Quid exteri de eosperent,  
 inde iudicabitur, quod cum S. R. Mii Specie Præillustri Can-  
 cellario Bignonno, Domino de Greifenkrantz, Fautore quoq;  
 nostro Colendissimo, itemq; cum Dno Imbasio Norimber-  
 gensi, Magni Nominis Viro, alijsq; Amplissimis Viris commera-  
 cium ipsi literarium amantissimè intercedat haud infra  
 quens, quodque Extranei aque ac Nostri non raro suos ipsi libe-  
 ros specialiore curâ expoliendos commendarint, & commendent.  
 Quid opus est laudare Virum, quem tot monumenta, tot decoris  
 testimonia publica & privata collaudant? Serenissimus nostræ  
 Patriæ Pater Ipse non dubitavit Clementissimò Suo assensu di-  
 gnum iudicare, cui summi Doctoratus Theologici insignia con-  
 ferantur atque Jura. Quamobrem Viro huius Docto, Eleganti,  
 Eloquenti ac Reverendo destinati sunt honores illi, quos jamdiu est  
 promeritus. Effluxit enim fere quadriennii, quod me Interprete  
 ac Decano FCIas mea permodestè Examina nostræ petitionis  
 voluit arceve, sed promittere aditum, quandocumq; velle. Quale  
 è promisso nihil spirituum superfluum sumfit, sed ipse mode-  
 stiam declarans ulteriorem accessum aliquantisper pro libertate  
 suâ distulit, donec ante annum, & quod superat, illa expectens  
 ranciam nobis respondendi promittitudinem demonstravit Omnia  
 bus, ut Integri, r. e. FCIas nostræ in illò lubent acquiesceret, &  
 faciendam cum summa animi expeditione conjunctam dextrè  
 observaret, atq; collaudaret. Concessum quoq; est, ad Gradum  
 supremum ulterius ut pergeret, quocumq; velle tempore, & præ-  
 scripta sunt aliquot Disputat. Inaug. Thematæ, optioni quidem  
 commissa, inter quæ tamen hoc ipsum, ut commendatum à quo  
 busdam est, ita Dno Candidato meo placuit. Elaboravit igitur  
 presentem Disputationem, quamquam copiosiore stylo, quod  
 ipsi in causa est, quare id nomen, id quod in ipso Differen-  
 tiationis præambulo insinuat fuit, exsequi non potuerit, sed alteri curio

*dam occasione reservari. Inscriptam illam de Divina S. Missionis inter Cretenses Constitutione; de qua t. 3 omnibus polliceri ausum, non minore illum animi presentiam esse defensorum, quam quae scripsit.*

Dignum ergo hodie sisto Candidatum, expeditum Disputatorem, Oratorem facundum, Theologum non sine probitate assiduam, variisque suis alienisque experimentis non parum exercitatum. Hunc ergo, WEIDENERUM meum, Candidatum meum dignissimum, Affinem meum, quo remotiorem quidem sanguine, eo propiorem tamen animo, Compatrem meum fravissimum, Fratremque tandem meum in officio & Amore JESU Christi conjunctissimum, ut amplius hic laudem, nihil est necessitatis: quin potius pro solido testimonio ipsi est totius Ecclesiae Mariana charitas omnino singularis. Gaudeo, ex eadem Ecclesia mihi quondam Candidatum obligasse Collegam ejus Celeberrimum, Max. Rev. Ampliss. atque Excellentiss. DN. JOHANNEM SENSTIUM, S. The. nunc Doctorem omnino dignissimum & suae Ecclesiae Archidiaconum Vigilantissimum, meum quoque longè Honoratissimum Fautorem, & Compatrem è Filiolo suo Estimatissimum, Fratremque in Domino Amicissimum. Quanto magis id me delectat, quod alterum nunc ex eadem Ecclesia Doctorandum in Cathedra Theologiae collocare, atque ex eadem cum DEO gloriose reducere me posse confidam. Nihil superest, nisi ut venerer DEUM O. M. pro salute Universitatis nostrae, & sine quo salus nostra aegrotat, pro Serenissimo Nostro Principe ac Domino, DN. FRIDERICO WILHELMO, Duce Meclenb. Terrarum Regnante, Principe, V. u. s. t. Gentis Venedae, Sverini & Ratzeburgae, Comite item Sverinensi, & Terrarum Rostochii ac Stargardiae Dynasta, Patrono & Cancellario hujus Academiae Magnificenissimo ac proserenissimo Dilectissimoque. Eius Coniuge DN. SOPHIA CHARLOTTA, nata Hassia Landgravia & reli. reli. Dominis ac Principibus Nostris Clementissimis,

tota;

totâque Serenissimâ Materna Fraternaque & cœterâ stirpe  
 Meclenburgica, omnique Regiminis Ducalis formâ, itemq;  
 pro integrâ hac Urbe Inclyta ejusque Senatu Præ Nobi-  
 lissimo, atq; Amplissimo, Compatrono Univerſitatis Noſtræ  
 Munificentissimo. Quo facto Magnificum Univerſitatis  
 DN. RECTOREM, Illustrissimi Regiminis & Consilii Du-  
 calis, Inclytæ noſtræ Academiæ, ac Amplissimi Ordinis Re-  
 gentis Urbici Proceres Eminentiſſimos, Excellentissimos  
 ac Splendidissimos, cœterosque Doctores, Licenciatos,  
 Verbi Divini Miſtros, Philoſophiæ Magiſtros, Aliosque  
 Honoratos Viros, ſuis quosque titulis ac juribus conſpi-  
 cuos: Coronamque ut Studiis Dicatorum, Generolorum,  
 ac Nobiliſſimorum Juvenum, ita aliorum Hoſpitum, ad  
 audiendam publicam & Inauguralem Admodum Reve-  
 rendi Domini Candidati mei Diſputationem in diem XXIII,  
 huius menſis, Auditoriumque noſtrum Maximum cum  
 R. Meæ ECCLÛſiæ, tum meo quoque nomine quam  
 obſequentiſſimè, officioliſſimè, aman-  
 tiſſimèque invito.

P. P. Rostochii d. XXI. Febr. sub Si-  
 gillo Facult. Theologicae.



94 A 734.6

ULB Halle

3


000 544 418




V017

M. 86.









**PROGRAMMA INAUGURALE,**  
*Quo vitam*  
*VIRI ADMODUM REV. PRÆCLARISSIMI, Atq. AMPLISSIMI,*  
**DN. JOHANNIS JOACH.**  
**WEIDENERI,**

**Philosoph. Doctoris Celebratissimi, Ec-**  
**clesiæ Patriæ Rostoch. Primariæ, Marianæ, Ecclesiastæ Lon-**  
**gè Acceptissimi Optimèqve Meriti, & S. Theol. aliquamdiu**  
**Candidati Dignissimi,**  
*consueto more delineat,*  
**EJUSQUE AD DISPUTATIONEM INAUGURALEM,**  
*Tit. I, §. 5.*

**DIVINA SANCTI MINISTERII**  
**INTER CRETENSES**  
**CONSTITUTIONE,**

**Maximo in Auditorio, proximò XXIII. die Febr. Ao. c1806vi,**  
**pro impetrandis**

*Summis In S. Theologiâ Honoribus, Juribus, ac Privilegiis*  
**Bono cū DEO ritè publicèq; Academico examini submittendam,**  
**MAGNIFICUM DOMINUM RECTOREM, ac**  
**Triplicis Reipublicæ Dominos Præsules & Proceres, Excel-**  
**lentissimos quosq; ac Splendidissimos, atq; O. O. O. Cives cum Acade-**  
**micos, tum Alios, Literatos ac Literarum Fautores, suis quosq;**  
**Honoribus, Decoribus ac Virtutibus Refulgentes**  
**qua par est, reverentiâ, humanitate, ac charitate invitât**

**JOH. PETR. BRÜNIGENBERG/**  
**Ph. & S. Th. D. hujusq; P. P. O. Consiliar. Consist. Ducal. & per Distr.**  
**Meclenb. Ducalem Superintendens, & in hoc Actu Inaugurali**  
**DECANUS.**

**Rostochl, Typis Joh. Wepplingl, SEREN. PRING. & Acad. Typogr.**